



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quomodo Ioanne Antiocheno episcopo non praesente Nestorius gradu
dopositus sit. Capvt IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

Antiochia, circiter triginta dierum iter. Ac cum Ioannes constanter affirmaret se non posse ad statutum diem, id est ad nonum dominicum (sic enim vocatur) adesse, sui omnes apud sedes proprias ac suas mansere.

Quomodo Ioanne Antiocheno episcopo non præsente Nestorius gradu depositus sit.

CAPVT IIII.

VBI igitur quindecim dies ultra diem præfinitam præterierunt, episcopi qui Ephesi cõuenerant, quasi iam episcopi versus orientem habitantes non essent veturi, aut si forte venirent, multum dilaberetur temporis antequam in unum cogeretur, Cyrillo locum Celestini episcopatum antiquæ Romæ, ut supra docui, gerentis obtinente, accersunt Nestorium, hortanturque ut criminibus ipsi obiectis respondeat. Ac cum superiore die polliceretur se venturum, si ita res postularet, & postea etiam ter vocatus, promissa neglexeret, qui cõuenerant, res in questionem vocare cõeperunt. Atque cum Memnon antistes Ephesi dies ultra diem statutum præterlapsos (præterierant autem numero decem & septem) percussisset, & diuini & admirabilis Cyrilli epistolæ quas scripserat ad Nestorium, & quas hic ad illum denuo, essent perlectæ, & epistola illa plane diuina, Celestini, viri cum primis illustris, scripta itidem ad Nestorium, recitata, & Theodotus episcopus Ancyræ, & Acacius sedem obtinens ecclesiæ Melitinæ, verba blasphemiarum, quæ Nestorius Ephesi profuderat, in medium protulissent, & multæ præclaræ sententiæ à sanctis & spectatis patribus sanam & synceram fidem aperientibus in eo congressu commemoratæ, & nonnullæ etiam quæ à Nestorio inconsideratè & cum blasphemia prolatae fuissent, inter eas interiectæ, sanctum conciliū ista totidem verbis contra Nestorium pronunciauit. Ut omitteremus alia honoratissimi scilicet Nestorij scelera, quoniam à nobis accersitus, obtemperare noluit, neque sanctissimos religiosissimosque episcopos à nobis ad eum missos recipere, inducti necessitate, ad impia eius dogmata excutienda aggressi sumus: & cum partim ex ipsis epistolis & libris à nobis perlectis, partim ex verbis nuper in hac urbe primaria recitatis ab eo, & quasi testimonio confirmatis,

EVAGRII HISTORIAE

eum impie et sensisse, et predicasse deprehenderimus, tum ecclesie canonibus, tum epistola sanctissimi patris nostri, et college, Celestini, episcopi ecclesie Romanae, necessario compulsi, idque non sine crebris lachrymis, ad hanc seueram sententiam contra eum pronuntiandam venimus. Itaque dominus noster Iesus Christus, contra que blasphemias loqui non dubitauit Nestorius, per istud sanctum concilium decidit statuitque, eum & Episcopatus dignitate abdicandum, & ab omni conuentu sacerdotum penitus excludendum esse.

Quod Ioannes episcopus Antiochenus quum quinque dies post aduenisset, Cyrillum Alexandrinum episcopum abdicat, & Memnona Ephesinum, quos contra, concilium absoluit, & Ioannem vicissim cum suis loco mouet, & quomodo Cyrillus & Ioannes scriptis ad utrumque, a Theodosio imperatore literis in gratiam redierint, & Nestorii abdicacionem approbauerunt. Cap. V.

Post istam autem equissimam iustissimamque pronuntiatam sententiam, Ioannes Antiochie episcopus una cum suis sacerdotibus, quinque dies post abdicacionem Nestorij venit Ephesum: & suis omnibus ibi in vnum conuocatis, Cyrillum & Memnonem abdicat. Deinde post libellos a Cyrillo, & Memnone, concilio cum his in vnum coacto (licet Socrates rem aliter, utpote eiusdem ignarus, commemoret) oblatos accersitur Ioannes, de abdicacione ab ipso facta responsurus. Qui cum iam ter accitus, minime aduentaret, Cyrillus quidem & Memnon liberantur ab abdicacione, ipse autem sui que sacerdotes a sancta communione, & omni autoritate sacerdotali amouentur atque ubi Theodosius (qui primo Nestorij abdicacionem minime approbavit, post tamen eius blasphemiam explorate cognita, eidem assensus est) literas admodum pias ad Cyrillum & Ioannem episcopos dederat, illi inter ipsos redeunt in gratiam, abdicacionemque Nestorij ratam faciunt.

De ad-